



Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskeres Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

T w e n d e T a f e l

4

holdte ved

Rectors Indsættelse i Nykjöbing Cathedralsskole

den 10de Juli 1838

udgivne som

Indbydelsesskrift til den offentlige Examen

i samme Skole 1838

Kjöbing Cathedralsskole den 10de Juli 1838 ved

Rosendahl

E. P. Rosendahl.

Kjöbenhavn.

Trykt hos Directeur **Jens Hostrup Schultzs,**

Kongelig og Universitets-Bogtrykker.

Efterfølgende to Smaastykker, der bleve til, under mangehaande Sysler og Afbrydelser, i de første Dage af mit Ophold paa denne smukke Ö, maatte velvilligen modtages, som de første Indbydelsesblade, jeg her udsender til Skolens offentlige Examen. I al deres Ubetydelighed ville de kunne tjene til at gjøre fraværende Førældre hekjendte med de Grundsætninger, jeg under den daglige Underviisning stræber at følge; og hos mine Disciple ville de kunne bidrage til at fornye og vedligeholde Mindet om den Dag, da vi gjensidigen overtog de helligste Forpligtelser imod hinanden, ikke for Dögn og Uger, men for vort hele Samliv. Derfor har jeg ikke troet det upassende, at lade dem ledsage efterfølgende Bekjendtgjørelse af Gangen i forestaaende Examen og vedföie dem min ærbödligste Anmodning til Skolens Foresatte og Velyndere, om gunstigen at ville hædre ogsaa denne offentlige Pröve med deres deeltagende Nærværelse.

Ulkjobing Cathedralsskole den 30^{te} August 1838.

Rosendahl.

Amplissimi hujus scholæ Ephori!

Collegæ ornatissimi!

Auditores, quotquot omnium ordinum adestis, spectatissimi, doctissimi, humanissimi, optimi!

Redire jamjam gramina campis, arboribusque comæ, feruntur trepidantes cum svavissimo susurru in mare rivuli, dulcissimos cantus aviculae tenui certatim gutture funditant, volitant per mare naves, odorem spargunt flores, nitet coelum, rident omnia. Quanta rerum mutatio facta est, ex quo cuncta hispida, horrida, inculta jacebant, nivali compede vineta et hiemis tempestatumque acerbitati obnoxia? Quid esse potest, aut spe lætius, aut adspectu jucundius? quanam dulcior mutatae vitæ imago?

Nolite itaque mirari, auditores humanissimi, me multifariis antea curis, laboribus et molestiis impeditum, valetudine fractum, oculis hebetatum, angustis rebus circumventum — nolite mirari, inquam, me mihi, dum hæc cerno, dum factam rerum mearum conversionem reputo, huc tanquam ex procellis in portum, tanquam ad beatas quasdam insulas delatum videri, et lætissima spe impletum, omen quasi futuri temporis accipere. Non autem, quo inerti me otio mollique socordiae dedam — *minime* — sed enim, ut a metu et angoribus liber ac solutus, ad novam veramque vitam expergiscar, ut quicquid in me virium et strenuitatis est intendam, ut dulcissimis indefessi laboris fructibus, voluptatibusque perfruar: dum juventuti studiosæ et discendi cupiditate flagranti operabor, dum ejus, dum tot optimorum paren-

tum, dum carissimæ patriæ utilitatibus et commodis invigilabo, dum Regis Augustissimi clementia, dum Vestra, tantorum virorum, exspectatione, dignum me, volente ac favente deo, usquequaque præstare conabor.

At, dum hæc mecum volvo ac perpendo, dum intimo, sincerissimoque gaudio pectus meum perfunditur, dum grata mente summi erga me numinis benvolentiam agnosco et prædico, obrepit subinde et turbat lætitiæ animi anxietas quædam et pusillitas, ex diffidentia roboris et gnavitatis orta. Cui periculum esset ne succumberem, desperans, num demandando mihi muneri gravissimo parem me atque idoneum præbere valeam; nisi spem omnem in patrem nostrum omnipotentem, qui nunquam me destituit, reponerem, nisi certo confiderem fore, ut dubitantem erigere, sustentare pugnantem, imbecillitatem hanc meam juvare nunquam desistat, nisi et hoc nomine divini memor essem promissi: *δύναμις ἐμῆ ἐν ἀδυνατείᾳ ὑμῶν τελειῖται*. Ideoque lætissimo hoc vitæ meæ die, quo novum mihi conandi agendique aperitur curriculum, omnem sollicitudinem, angorem et timiditatem pectore excutiam et propellam, ac solis grati et severi simul gaudii sensibus aditum aperiam. *Quod deus immortalis bene vertat!*

Auditores!

Fert vetus a majoribus accepta consuetudo, ut quisque qui in eo est, ut rem ullam graviorem aggrediatur, qui muneri cuiquam obeundo se accingat, ab oratione aliqua incipiat, et, aut publice verba faciens ostendat, quonam rectissime modo vitam instituturus, quamnam in exsequendis officiis ingressurus sit viam, aut unam alteramve rem ad munus suum pertinentem novo lumine illustrando, benevolentiam se hominum ac caritati commendat.

Sed *quid* ego, recens ab itinere, animo varie commotus et distractus, quid ego, homo umbraticus, qui in primis literarum rudimentis juventuti scholasticæ impertiendis ætatem hucusque degi, et in molestissimo hoc negotio totus semper fui, quid ego novi in hoc talium virorum consessu afferrem, quo aures Vestras tenere, animos Vestros allicere ac demulcere sperare possem?

Malo igitur, bona cum Vestra venia, de me ipso loqui et rationes hodiernæ meæ lætitiæ reddere, et quam foveo, spei, quamque sentio, grati

animi pietatis, succincta ut maxime oratiuncula, causas exponere et commemorare. Cujus ut exigui temporis attentionem ne mihi denegare velitis, etiam atque etiam rogo.

Lætor, igitur, A. A., ex animo lætor, non solum quod desideriis meis Rex Augustissimus annuerit, sed quod cetera omnia ex voto mihi successerint, imo expectationem longe superaverint.

Juvat hæc venisse, in amoenissimam hanc insulam, urbemque quum temperie aëris, tum fertilitate agrorum, tum ipso situ jucundissimam. Canit quidem Horatius, coelum non animum mutant, qui trans mare currunt; at quamnam vim regionis amoenitas ad recreandas vires, ad animum suaviter afficiendum leniendumque habeat, nemo est qui ignoret.

Juvat domicilium tale nactum esse, ubi non solum bene et commode habitatur, sed ubi ipsa ædium magnificentia, ne dicam majestas, ad alta et excelsa impellit, itidemque intrantes monet hic nihil exiguum, parvum aut humili modo agi debere — sed vero, velut in templo, ejus speciem hæc ipsa domus refert, grandia, gravissima, præclara ac summa omnia.

Juvat me a primariis hujus oppidi viris et civibus ceteris, honestissimis hominibus, comiter ac blande receptum esse; *juvat* amici loco habitum a sene illo doctissimo, qui post exantlatos quadraginta amplius in pulvere scholastico annos, in otium se contulit, mihique inter pia vota lampadem tradidit; *juvat* sodales in hac corona et amicos et fautores cernere, quorum omnium benevolentia atque amore utinam me dignum aliquando præstare possem!

Juvat denique me illustrissimis et generosissimis hic Ephoris subditum esse, quorum an dignitas, an virtus, an vigilantia, an humanitas major sit, equidem non facile dixerim. At probe scio lætusque agnosco, nobilissimum esse incitamentum ad quodvis officiorum genus sancte servandum, ubi talium virorum tibi ad imitandum proposita sunt exempla, quos et imitari arduum, quibus vero probari, quorumque laudem mereri operæ et lucubrationis est pretium.

Quid dicam de Vobis, Collegæ literatissimi! nonne intimis gaudii sensibus adficiar necesse est, ubi conamina Vestra, doctrinam, diligentiam, ingenuitatem ubique prædicari audio, *ubi* ipse jam benevolentiae Vestrae documenta habui luculentissima, et sedulitatis, strenuitatis, industriæ ampliora

adhuc in posterum me habiturum scio. Notissimum est, quod veteribus in proverbio: quem Jupiter odit, præceptorem facit. Nimirum tanta est ingeniorum juvenilium dissimilitudo: in *hoc* legendi et audiendi studium, in *illo* intelligendi et judicandi facultas desideratur; in *aliis* inconstantiam et levitatem, in *aliis* stuporem et oscitantiam deplorat magister; *hic* in omnibus hæret defixus, *ille* omnia levis transmittit, ut alia multa taceam. Facit hæc tam varia adolescentium ratio, ut longe difficillimum et molestissimum sæpe sit docendi munus, ut præceptori bilis interdum moveatur, sæpe fastidium, ut lassitudo ei et tædium et morositas sensim obrepit, ut animum fere omnem haud raro amittat, ut crambe eum centies repetita pæne occidat.

Quæ cum ita sint, tanto major magistro laus debetur, qui studio indefesso, strenue, alacriter, lubenter ac religiose, officio non modo tam severo et gravi sed operoso simul et, ut videtur, ingrato perfungitur. Præsertim quum ea nunc ætas vivatur, qua omnia quævis a præceptoribus et nihil fere a discipulis postulantur: si stat profectus, si quid delinqvitur, hoc nobis sæpissime, perraro pueris vitio vertitur.

Attamen, rerum humanarum periti, non ideo animum despondebimus, non ideo in opere scholastico perficiendo remissiores fieri nec decet, nec licet, nec fas est. Verum, (et hæc spei meæ lætissimæ causa, hic fons, quod Vos mecum in hoc consentire intelligo) deo optimo freti, patriæ commodum et salutem adolescentiæ unice spectantes, quod in nobis est, pro virili id agemus: ut *cognitionem* solidam discipulis ubiqve commendemus, *gravitatem* ab iis exigamus, *mores* eorum ad modestiam et virtutem componamus, nulli dubitantes, quin semina pio et confidenti animo jacta fruges aliquando ferant uberrimas. Lætam illam segetem, officiiqve sanctitatem quotidie ob oculos ponendo, aderit divinitus vis et robur vacillantibus, dubitantibus animus et alacritas; — sicqve nunquam defatigabimur corrigendo, castigando, interpretando, examinando, repetendo, regulas et præcepta iterum iterumqve inculcando, propinando captui, insigendo memoriæ.

En dextra fidesqve!

Ego Vobis nunquam et nusquam decero.

Officio modo et *industria* inter nos certabimus. Ea sit sola æmulatio!

Persvasum enim habeo, Vos, quæ Vestra est religio, animique candor, Vos omnem vitæ fructum, omnem vitæ delectationem ex bene de discipulis merendi copia, et nunc metiri et semper esse mensuros. Amabimus, confido, nos magis in dies magisque sinceriusque, mutuis caritatis et benevolentiae indiciis concitati. *Hoc nobis damus et promittimus, hoc nobis dabimus usque et petemus vicissim.*

Restat adhuc alia, maximique illa momenti, intimæ meæ lætitiæ causa, ex ipso docendi munere, ex ipsis, quas in hac schola tractabimus, literis et artibus repetenda; quam si considero vera, fateor, tulisse Ciceronem, quum dixit: *Non ulli bonarum artium magistri non beati prædicandi sunt.*

Teste igitur Cicerone, beatus prædicandus sum, quia bonæ artes a me juventuti tradendæ sunt. Recte utique! Equidem enim sic sentio, non dignius, non honestius, non itaque melius a quoquam collocari tempus posse, quam in juventute efformanda, crudienda, educanda, a vitiis flectenda, ad honesta, decora, excelsa et præclara quævis excitanda, impellenda ac dirigenda.

Nimirum voluit majorum sapientia, ut *antequam* adolescentuli iis, quas in vita professuri essent, artibus et disciplinis initiarentur, — *antequam* vel Theologiæ, vel Jurisprudentiæ, vel Medicinæ, vel cuiusque demum alii scientiæ, nomen darent, universa quædam et communia, seu cuius homini, in quolibet munere, in quolibet statu, in qualibet ætate et fortuua exoptanda, utilia, necessaria edocerentur.

Quod institutum non satis laudari et extolli potest.

Nam quodvis in civitate munus, quamvis inter homines dignitatem, longe exsuperat et antecellit *dignitas humana*, et illæ vivendi partes, quas singulis hominibus, cujuscunque loci et fortunæ, dedit imposuitque ipse deus; qua spreta et neglecta, nec homo laudandus, nec vita beata, nec mors tranquillæ esse poterit. Quare non possumus non plorare tot mortalium sortem, qui, quid simus et quid victuri gignamur obliti, in terram proni, coelestiumque inanes, brevem hanc vitam transcurrunt.

Quis enim et quantum homo est? Quid et quantum non solo hominis nomine Deus contineri voluit?

Fuere, qui vocabulum *ἀνθρώπος* ita interpretati sint, quasi esset ὁ

Examen fortsættes fra den 17 til den 28 September i følgende
 Orden:

Mandag.	Tirsdag.	Onsdag.	Torsdag.	Freitag.	Løvedag.
I-II.	II.	I-II.	I-II.	III.	III.
Latin.	Danſt.	Hiſtorie.	Religion.	Latin.	Græſt.
I.	I-II.	I.	Lydſt.	Lydſt.	Hiſtorie.
Danſt.	Græſt. Naturhiſt.	Geographi.	Regning.	Frænſt.	Geographi.
Mandag.	Tirsdag.	Onsdag.	Torsdag.	Freitag.	
IV.	IV.	IV.	IV.	III.	
Latin.	Græſt.	Hebraiſt.	Lydſt.	Hebraiſt.	
Frænſt.	Religion.	Hiſtorie. Geographi.	Naturhiſt.	Naturhiſt.	
			III. Religion.	Mathematik.	

Løvedagen den 6 October, om Formiddagen Kl. 11, bekiendtgjøres Ud-
 faldet af den afholdte Examen med ſædvanlig Høitidelighed; men

Mandagen den 8 October, om Formiddagen Kl. 8, examineres de Unge,
 ſom ere anmeldte til Optagelſe i Skolen fra næſte Skoleaars Begyndelſe af.

Persvasum enim habeo, Vos, quæ Vestra est religio, animique candor, Vos omnem vitæ fructum, omnem vitæ delectationem ex bene de discipulis merendi copia, et nunc metiri et semper esse mensuros. Amabimus, confido, nos magis in dies magisque sinceriusque, mutuis caritatis et benevolentiae iudiciis concitati. *Hoc nobis damus et promittimus, hoc nobis dabimus usque et petemus vicissim.*

Restat adhuc alia, maximique illa momenti, intimæ meæ lætitiæ causa, ex ipso docendi munere, ex ipsis, quas in hac schola tractabimus, literis et artibus repetenda; quam si considero vera, fateor, tulisse Ciceronem, quum dixit: *Non ulli bonarum artium magistri non beati prædicandi sunt.*

Teste igitur Cicrone, beatus prædicandus sum, quia bonæ artes a me juventuti tradendæ sunt. Recte utique! Equidem enim sic sentio, non dignius, non honestius, non itaque melius a quoquam collocari tempus posse, quam in juventute efformanda, erudienda, educanda, a vitiis flectenda, ad honesta, decora, excelsa et præclara quævis excitanda, impellenda ac dirigenda.

Nimirum voluit majorum sapientia, ut *antequam* adolescentuli iis, quas in vita professuri essent, artibus et disciplinis initiarentur, — *antequam* vel Theologiæ, vel Jurisprudentiæ, vel Medicinæ, vel cuicunque demum alii scientiæ, nomen darent, universa quædam et communia, seu cuivis homini, in quolibet munere, in quolibet statu, in qualibet ætate et fortuua exoptanda, utilia, necessaria edocerentur.

Quod institutum non satis laudari et extolli potest.

Nam quodvis in civitate munus, quamvis inter homines dignitatem, longe exsuperat et antecellit *dignitas humana*, et illæ vivendi partes, quas singulis hominibus, cujuscunque loci et fortunæ, dedit imposuitque ipse deus; qua spreta et neglecta, nec homo laudandus, nec vita beata, nec mors tranquilla esse poterit. Quare non possumus non plorare tot mortalium sortem, qui, quid simus et quid victuri gignamur obliti, in terram proni, coelestiumque inanes, brevem hanc vitam transcurrunt.

Quis enim et quantum homo est? Quid et quantum non solo hominis nomine Deus contineri voluit?

Fuere, qui vocabulum *ἀνθρώπος* ita interpretati sint, quasi esset ὁ

ἄνω τρέπων ὄπα. Ingeniosius forsā, qvā verius. Quod si vel non pensitaverint Græci vetustissimi, certe bellissima sunt illa poetæ Romani:

Prona quum spectent animalia cetera terram,
Os sublime dedit homini, coelumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

et alibi:

Servat adhucdum cognati semina coeli —

Illa itaqve cognati semina coeli (qvo nos sensu rem accipimus), coelestis illa natura, præstantia illa qva bestiis dignoscimur, ea *vera est humanitas*, scientiæqve, qvibus hæc a teneris inde annis effingitur et excolitur, qvibus homo vere homo redditur, sunt dicta *studia humanitatis*. Complectebantur illa, ut pulcre nostis, apud Veteres jam: musicen, rhetoricen, mathematicen, grammaticen, historiam, descriptionem terræ et philosophiam. Statuebant nempe illi, hæc et arctissimo inter se vinculo juncta esse, et ab homine vere exulto ignorari nec posse, nec debere. Hodicqve easdem fere artes studia humanitatis, qvæ in scholis nostris docenda sunt, complectuntur, modo in locum philosophiæ apud nos, primis annis, subiit, qvā Christo debemus acceptam, Religio divina.

De hisce vero, pace Vestra, mihi fusius paulo disserere liceat! Omnes novimus, qvantopere multi hodie, elatius nescio an imperitius, humaniores istas literas exagitaverint, tractationem earum sterilem minimeqve frugiferam, imo inutilem et tantum non damnosam esse clamitantes; nec in scholis his nostris nisi inanes qvasdam voces et obsoletarum lingvarum vocabula, aut fabulas poeticas, aut exornandæ orationis præcepta, aut alias ejusmodi, qvas putant, minutias ac quisqvilias adolescentibus tradi qverentes. *) Qvasi non, qvum duabus præcipue rebus a ceteris animantibus discernamur, *ratione* puta, ejusqve interprete, *oratione*, tanqvā primum ac præstantissimum a juventutis doctoribus flagitari debeat: ut *eas imprimis dotes*, qvibus homo homo est et pecudi præstat, fingere et formare summo studio conentur, — atqve adeo acuere judicium, cognitione subigere mentem exemplisqve instruere, dicendi facultatem excolere, inditos a natura honestatis igniculos elicere, luxuriantes sensim libidines stringere, ceteris posthabitis, contendant.

Aut enim nos omnino fallimur, aut talis institutio sola est homine,

*) Cfr. Muretum de hac ipsa re disserentem.

in universum, quod dicimus, culto ac conformato digna, longeque adeo melius et convenientius in ea consumitur tempus juvenile, quam in solis Mathematicis, Physicis, Geographicis, omnibusque, quæ ad quæstum unice spectant, artibus discendis atque exercendis.

Nolo equidem hæc ignorari, minime! at, quæ animum mitiorem, generosiores, contentiores, moderatiores, tranquilliores, τῷ sapere et fari aptiores efficiunt, iis primum semper locum assignari oportet. Ubi hæc calluerint juvenes, tum rostris operentur, tum annonæ prosint, tum agros describant et metantur, tum navigent et mercaturam exerceant, tum herbarum animaliumque nomina naturamque addiscant. Tum quoque, quod cuique maxime conveniat negotium et quem potissimum sequatur vitæ cursum, ipsi judicare et eligere poterunt. Quod si ubique fieret, melius certe ac constantius ac prudentius ac jucundius sese res haberent humanæ.

Studia hæc nostra imprimis laudat Consularis idem philosophus, quem nuper bonarum artium præceptorem beatum prædicantem audivimus. Verba eius in elegantissima pro Archia poeta Oratione hæc sunt: *Illa studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoscunt nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

De quibus singulis parumper si placet videbimus.

Hæc studia, ait, adolescentiam alunt: ut cibo eget corpus ne frangatur ac debilitetur, ut cultum desiderat ager ne sterileseat, ne sentibus spinisque obsidatur, sic et ingenium juvenile mature literis imbuendum est, ne situ obsolescat et fruticantibus quasi occupetur cupiditatibus. Institutione corroborantur vires animi, præceptis ediscendis firmatur memoria; Mathematicorum et rerum Grammaticalium tractatione acuitur iudicium, dum adolescentulus altiora atque abstrusiora nondum cogitando assequi valet; ex historia suppeditantur et virtutis et vitiorum exempla, quæ cum religione conjuncta ad vitam moresque referre possit, dum non experientia modo augetur, verum etiam conscientia sui in illo excitatur. Plures linguas discendo, plura ei indices offeruntur discendi præsidia, si non illico, at in posterum fructuosissima. Veterum auctorum lectione, non ipso tantum sermone, verum et mythis, et dicendi figuris, et universo cogitandi scribendi que tenore, genium antiquitatis sibi familiarem reddit, quod nulla effici

aliorum explicatione potest. Oratores et poetas veteres evolvendo non virtutis solum amore incalescit et incenditur generosior quivis adolescens, verum et venustatis illius et elegantiae, quae per eos fusa est ex iisque trahitur, sensu eliditur sensim et abstergitur quae ipsi adhærescit feritas morum et barbaries. Nulla denique magis re loquendi cuiusvis et scribendi genus politur et limatur, quam iis scriptoribus lectitandis, qui non lucri sed honoris causa edebant opera, iisque incredibilem corrigendi laborem impendebant: quis enim non cum admiratione imitetur orationem istorum melioris notae auctorum sobriam, rectam, puram, perspicuam, nervosam, vocabulorum tum vi, tum delectu, tum in periodis loco, ad exprimendum id, quod scriptor voluit, aptissimam?

Senectutem oblectant: ex testimonio Catonis, senectus fundamentis adolescentiæ constituta minime misera est; h. e. quo quis ab ineunte ætate est literis humanioribus instructor, eo minus ea desiderat, quæ juvenes vulgo abripiunt et delectant, eo quoque minus iis se libidinibus irretiri patitur, quæ senectutem molestam et inertem reddunt; quo plus pabuli, quod vocatur animi, præterita ætate collegit, eo minus tædii in senectute sentiet; quo est doctrina exultior, eo erit animo mitior, placidior, tolerantior, eo minus illud se aut despici a junioribus putabit; altiores enim gerit spiritus, quam ut, si fors ferat, eum tangere aut commovere queat imperitorum hominum ludibrium, eo magis, a bonis omnibus diligitur, eo lubentius ab iis auditur, ceterisque omnibus in vita destitutus, scientiam tamen et voluptatem ex literis humanitatis haustam retinet; ubi non iis amplius sufficit quæ corporis viribus geruntur, attamen consiliis suis juvare et auctoritate sua juniores regere, si non scribere, attamen legere, si ne legere quidem, attamen recordatione lectorum et narrationibus se recreare et tempus jucunde fallere potest. Sed præcidam. Et quid opus est diutius his immorari, quum viva hic adsint exempla, quæ omni oratione luculentius fortiusque loquuntur.

Secundas res ornant: Nemo nescit, quam facile homines inculti et rudes rebus secundis et ex sententia fluentibus corrumpantur, et qui divitiis abundant, sed institutione humaniore careant, iis plerumque uti nescire, verum in diversissima inter se vitia avaritiam aut profusionem vulgo prolabi, ita ut nec sibi nec aliis prosint, nec ullum capiant opulentiae suæ

fructum, artem fruendi, quam vocat Horatius, ignorantes. Contra qui liberalibus artibus est imbutus, et ipse bonis digne frui et aliis, quin et reipublicæ, si quando usus sit, impertiri didicit. Non vestimentorum ille luxu, non apparatu epularum, non turba pedissequorum, non equis et canibus delectatur, *sed* hortis, qui et varietate florum et multitudine arborum, tum voluptati, tum usui inservientium, non opulentiam modo domini verum et elegantiam, et cognitionem et munificentiam testantur, *sed* libris et literatorum, cultorumque hominum colloquiis et de rebus gravissimis consultationibus, *sed* omni et sumtuosa sæpe rei literariæ, scientiarumque physicarum suppellectile, aut herbarum animaliumque rariorum collectionibus, *sed* præclarissimis quum picturæ tum statuariæ artis operibus, ceterisque omnibus ex quibus vitæ vere humanæ cultus elucet, altiorque et subtilior et generosior voluptas percipitur. Non ipse modo libros et doctrinæ præsidia, paucis parabilia cœnuit, *sed* et aliis paupere Lare natis suppeditat, studiaque eorum quocunque modo suscitât fovetque, scripta eorum prelo excudi curat, ipsosque, tum intra domesticos parietes, tum in doctis peregrinationibus juvat et auxiliatur. In ipso convictu jucundissimus est: quem enim ex studiis humanioribus hausit, et Græcia Latioque, ex Musarum sede et Gratiarum domicilio petivit pulcri, venusti, ingenui et faceti amor ad omnia vadit, ex omnibus, quæ ab illo proficiscuntur, cernitur ac sentitur. Hinc in moribus urbanitas, in verbis festivitas, in cunctis liberalitas. Quod si quis dubitaverit, illum ablegatum volo ad Cimones, Pericles, Herodes Atticos, ad Cicerones, Plinius, Senecas, vel inter nostrates ad Bülovios, Sulmios, Thottios, tumque sine dubio intelliget, quantum in re lauta ex studiis nostris, ad vitam quam publicam tum privatam redundet et accedat ornamentum.

Adversis perfugium ac solatium præbent: Canit poeta, "quem res plus nimio delectavere secundæ, mutatæ quætient" at, qui animum ad præcepta religionis et humanitatis emendaverint ac composuerint, eos non secundæ res plus nimio delectant; *ii* et rerum humanarum levitatem inconstantiamque fortunæ norunt; *ii*dem sciunt nos in hac vita ad meliora educari, *ii* quotidie precantur: γεννηθήτω τὸ θελήμασθε! *ii* et mentem Stoicorum masculam et doloris mortisque contentum ex scriptis illorum sibi parare, jamdiu studuerunt, intelligentes nempe, quod in sacro Bibliorum Codice statuitur: quem deus amet, eum castigando recognoscere; *ii* cum Seneca et

divo Paulo adversa omnia pro exercitationibus habent, et, iisdem auctoribus, *judicant*, non quid sed quemadmodum feras, interesse, deumque adversus bonos viros patrium habere animum, et operibus et doloribus et damnis eos exagitare, ut verum colligant robur.

Et ex testimonio historiae permulti fuere, qui vera probaverint eundem Senecam docuisse, quum praeceperet: *Officia si quis Civis amiserit, hominis exerceat*, ideoque, postquam iis omnia perierunt, in literis nostris praesens curarum lenimen et solatium et medelam quaesiverint. Ex innumeris unus nobis pro exemplo sit infelicissimus, quem inter proceres suos Dania nostra vidit, Griffenfeldius nempe, de quo proditum est: "cum in Castello illo Nidrosiensi, durissimo per integros novendecim annos carcere iclusum, inter acerbissimos calculorum cruciatus, se legendo et scribendo meditando ac precando unice esse consolatum. Quin fenestrae, parietes et fores carceris ejus strophis et sententiis referti fuisse dicuntur: negato enim calami usu, annulo adamantino fenestrarum tesseris et parietibus carbone inscripsit. Et exstat adhuc *Novum Testamentum* graecum, cujus margines et paginas omnes stilo argenteo peraraverat, et *Librorum Senecae exemplar*, quod dies noctesque versando, notulis confertissimis opleverat." Adeo ut ab hominibus et fortuna destitutus solatia modo literarum et religionis retinuerit totoque animo amplexus sit.

Delectant domi. Num necesse erit fusius demonstrare, ut quisque bonis artibus maxime excelluerit, ita eum verissima certissimaque inde temporis oblectamenta in se habere, nec ea ei extra domum suam, et erogatis quidem numis, esse quaerenda; nec inertia eum unquam transigere vitam, nihil agentem, quo se hominem esse testetur. Tantum hoc abest, ut omnes haud dubie vivendo experti simus, qui in literas se ingurgitaverint veraeque inde imbuerint humanitatis sensus, numquam otiosos, numquam morosos nec sibi nec aliis molestos, sed vero rebus suis contentos, moderatos, temperantes se semper praebere, imo utile continuo aliquid agere ac moliri et, ubicumque fuerint, honesto otio occupari, adeo ut *otia* etiam sua in aliorum saepe *negotia* contulerint. In quolibet vitae statu et remissiones et voluptates inveniunt, horasque in seriore etiam aetate sine taedio labi sentiunt. "Quanta enim, ut est apud Muretum, voluptas ea, quae discendo sentitur ceteris omnibus major sinceriorque sit, vel illud indicio est, quod

aliarum, etiam qui iis plurimum tribuunt, satietatem tamen quandam esse ac tedium confitentur, hujus autem, ut quisque percepit plurimum, ita eam acrius atque avidius concupiscit". Contra qui nihil tale didicit, qui nihil cogitat et cupit, nisi quæ ad speciem jucunda sed fluxa et caduca sunt, ad eaque omni impetu fertur, is mox publice privatimque despiciatui erit, et adeo ipsi sensim tempus molestum, ut onus se Ætna gravius ferre, decre-scentibus præsertim corporis viribus, miserrime queratur.

Non impediunt foris: Quidni impediunt? Imo nihil expedit magis, nihil melius, nihil utilius est, nihil ex quo majorem commendationem foris habeas. Meritoque ab omni tempore laudatum est illud Aristippi responsum, quum aliquando rogaretur: quantum indoctus a docto distaret? "Utrumque, inquit, nudum mitte ad externos, et videbis."

